

fiderare. Huc refero doctrinam de Legibus divinis circa ipsum Evangelium. Accuratio et iterata consideratio controversiae domesticae, ante hos XX. annos de Contritione ex Evangelio oriunda agitatae, nonnullas mihi suggessit meditationes de hoc argumento, ad intelligendam & componendam illam liticulam, ad evitandos et refutandos alios certissimos et gravissimos errores; et denique ad tuendum maxime necessarium Legis et Evangelii discrimen forte profuturas: Hac igitur occasione publici easdem faciam juris. Deum precor, ut per Spiritum Sanctum ducat nos in omnem veritatem ad nostram aliorumque salutem in Christo Jesu nobis reparatam. Amen!

§. I.

Legis et Evangelii definitiones.

**L**ex divina, de qua heic loci maxime est agendum, est decretum voluntatis divinae omnibus hominibus promulgatum, indicans, quid facere, quid non facere debeant, adjecta promissione praemiorum, si exacte obediverint, et comminatione poenarum, si fuerint immorigeri. Evangelium est decretum voluntatis divinae etiam omnibus hominibus promulgatum, quod peccatoribus, quales post lapsum sunt omnes homines, adeoque poenarum aeternarum reis, gratuitam remissionem culpae et poenae peccatorum propter meritum Christi fide apprehensum, atque omnibus vere et usque ad finem vitae credentibus salutem aeternam annunciat et promittit. Vtriusque definitionis singula momenta, et dicta, quibus nituntur, biblica vel ex Catecheticis nostrae religionis elementis sunt notissima, ut repetitione superfedere possim.

§. II.

Discrimen ax Definit.

Neque repetam omnia Legis et Evangelii discrimina prolixius enumerata a CHEMNITIO et SELNECCERO locis citatis, a B. IO. GERHARDO in Loco de Evangelio §. 54. seqq.  
Tomo